

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3522

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Raoul de Meulan [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1255, août

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, à la demande de Raoul de Meulan, lui remet les revenus et biens que ce dernier doit avoir à Beaumont-le-Roger et à Brionne à titre de droit de ses ancêtres.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 536, p. 96-97.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, Amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod, cum dilectus et fidelis noster Radulphus de Meullento instanter a nobis peteret ut jus quod in terra Bellimontis Rogeri et Brionie ratione antecessorum suorum se dicebat habere redderemus eidem, et nobis super hoc non appareret testimonium vel probatio, nos tamen nobilitatem sui generis attendentes, ut qui de magnis et nobilibus traxit originem, necessitati etiam misericorditer compacientes ejusdem, sexcentas libratas terre ad turonenses, eidem dedimus, et eas in Normannia, sicut continentur inferius, fecimus assignari, videlicet totam terram de Corcellia et de Berneriis, quam habebat ex assignatione perinclite recordationis Philippum regem Francorum avum nostrum, pro trecentis libris turonensium sibi facta. Alias autem trecentas libratas eidem assignari fecimus in locis que inferius sunt expressa : apud Corcelliam pro auxiliis feodalibus ad feriam Prati reddendis viginti unam libram, novem solidos octo denarios et ibidem pro terra Renaudi filii Hayis duos solidos sex denarios, apud Cortissegnium pro auxiliis quatuor solidos, quatuor denarios, pro fabrica octo denarios, pro triginta ferris equorum cum clavis quinque solidos ; sexaginta gallinas ; pro panibus, quatuor solidos octo denarios ; quingenta et septuaginta ova ; pro panibus quinque solidos ; pro quodam ariete ad ascensionem Domini, tres solidos. Item in feodo viginti quinque sextaria frumenti : videlicet de feodo Johannis de Bosco et ejus participum octo sextaria unam minam ; de feodo Osulfi sex sextaria ; de Gilleberto Marie septem quarterios ; de Rogero Lermant tres minas ; de Ricardo Marie unum sextarium ; de Michaele Floires quinque quarterios ; de Roberto de Baionvilla unam minam ; de Yvone filio Hugonis quinque quarterios ; de feodo Petronille unum quarterium ; de feodo Gruies unam minam ; de Gilleberto filio Hugonis unam minam ; de Rogero Nigelli, unam minam ; de Johanne Osmondi unum sextarium ; de relicta Gillot, unam minam. Item tres acras et unam virgatam terre in dominico. Item, ibidem quatuor modios et tria sextaria avenae ; et ibidem pro anseribus decem solidos. De predictis autem tenetur idem Radulphusolvere annuatim decem sextaria frumenti, pro elemosinis piis locis concessis ; item presbitero leprosororum Corcellie sex sextaria ordeï, ipsis que leprosis viginti solidos ; monialibus de Moretolio unum modium ordeï ; monachis Barbereii

duos sextarios ordeï. Item idem Radulfus percipiet apud Beneium quinque solidos annui census ; pro fabrica duos solidos ; pro auxilio et serviciis equi undecim libras ; pro porquagio in tercio anno quadraginta solidos ; quadraginta tres gallinas ; triginta duos capones ; sexcenta septuaginta ova ; pro panibus quinque boissellos frumenti ; pro anseribus quadraginta quinque solidos. Item in feodo decem et octo sextaria frumenti, videlicet de Elya Caillou quinque quarteria ; de Guillelmo Osberi, tres minas ; de Guillelmo Herberti, quatuor sextaria unam minam ; de Elya Veisin, unum sextarium ; de familia Robini, novem quarteria ; de Roberto Cauvin, unum sextarium ; de Rogero Le Seignor, unum sextarium ; de filia au Valeis, unum sextarium ; de Herberto Tourouse, unum sextarium ; de relicta Huberti, unum sextarium ; de Aelipdi filia Helye, unum sextarium ; de Hugone Oberi, tres minas. Item septem acras unam virgatam et dimidiam terre in dominico. Item unum quarterium ordeï in feodo et quatuor sextaria avene et unam minam in feodo similiter, que debet Helyas Caillou. Item herbagium magne bruiere, roagium et praetellum. Item ex altera parte indominico quinque modios quinque sextaria tam ordeï quam avene ; et pro messeria unum modium avene. Item apud Lyon, in terra que fuit Garini de Glapion, pro servitio equi, viginti libras ; in censibus sexaginta solidos decem capones centum viginti et octo gallinas ; in feodo decem sextaria unam minam ordeï et duo modios et dimidium frumenti. Item ibidem in dominico viginti octo modios et sex sextaria frumenti ; et in terra que fuit Damiani de Plumetot, de tenemento eodem dimidium modium et unam minam frumenti. Item in tercio anno pro porquagio quinquaginta quatuor solidos. Item in eadem villa, in terra que fuit comitis Cestrie, duodecim gallinas, pro panibus unum boissellum frumenti et octo denarios ; in feodo quatuor sextaria frumenti, et ad firmam mobilem octo modios et duo sextaria ; in prepositura ejusdem ville quatuordecim libras quindecim solidos et undecim denarios. Istam autem terram dicto Radulpho et ejus heredibus de uxore sua legitime desponsata concessimus de nobis et heredibus nostris in homagium ligium per servitium duorum militum cum homagiis et demeniis que habebamus ibidem ad usus et consuetudines Normannie libere et quiete perpetuo possidendam, ita quod, si de ipso et uxore sua desponsata, sicut dictum est, heredem nullum contingeret remanere, ad nos et heredes nostros reverteretur plenarie et libere dicta terra ; ipse autem, si quid juris in dicta terra petebat, vel etiam in alia quam a nobis posset petere, competebat eidem vel competere poterat, pro se et heredibus suis, nobis et successoribus nostris plene et omnino quitavit cum fructibus et proventibus a nobis et nostris predecessoribus inde perceptis, ita quod in illa nec ipse nec alius pro eo erga nos vel heredes aut successores nostros nichil potest vel poterit de cetero reclamare. Nos autem et heredes nostri istam donationem eidem Radulpho et suis heredibus de uxore sua desponsata garantizare tenemur, et eandem, si contingerit ipsam vel aliquam partem ipsius evinci ab eo, valore ad valorem sibi et suis heredibus in Normannia excambiare. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno incarnationis dominice M° CC° quinquagesimo quinto, mense Augusto, regni vero nostri vicesimo nono, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa: Dapifero nullo ; Buticulario nullo ; signum Alfonsi Camerarii ; signum Gilonis Constabularii.